



3

3

30

31

30

31

31



1774.

34. Ray, Christianus : De precario
35. Richterius, Francus Tubias : De aestimatione
instrumenti seu inventaris in praedictis occu-
rentiis locundis.
36. Schott, Augustus Fridericus : De temporibus nuptiarum
et aenis
37. Schott, Augustus Fridericus : De praescriptione
adversus civitates.
38. Schott, Augustus Fridericus : De juribus singula-
ritas militum circa rem apificariam in
Saxonia Electorali
39. Segerus, Joh. Theophilus, fac. jur. pro cancellarius :
Observatio de differentia iudicium et magistratum
juris dicendi apud Romanos. Programma, quo saluti-
naria doctoralia Joh. Gothofredi Heumannii indicit.
40. Segerus, Johannes Theophilus : De alimentis viduae
indotatae ex fundo debitis.

1774.

41. Thomarius, Franzott, fac-jur. pro cancellarius: De jure
retinendi prius in concursu creditorum. Programma
quo inaugurationem solemnem . . . Caroli Gullobii
Antonii indit.
42. Thomarius, Franzott, fac-jur. pro cancellarius:
De praediis ecclesiasticis lassis. Programma,
solemnis doctoralia Caroli Augusti Bucheri in-
dit.
43. Watzdorff, Adamus Ferdinendus Augustus, a: De statutis
et judiciis gentilitii, nobilitum, mediatorum in
Germania speciebus in Germania.
44. Wilke, David Gotfried Regidium: Observationes jure
ecclesiastici.
45. Wolf, Francus Augustus: De latinitate ecclesiastica
in Codice Theodosiano
46. Zoner, Ferdinendus Gullicus, fac-jur. pro cancellarius:
An specialis commendatio obligatorem exprimat? Pr.
prensus, quo solemniter inauguratus Francus Petri Saltza
indit.

1774

47. Zollerus, Frid. Gollub: Utrum femina geradam
a marito appignoratam constante matrimonio
vindicare possit?
48. Zollerus, Frid. Gollub: De eo, quod scriptum est circa
Laurianam particularem secundum statuta Ham-
burgense part 2. Tit. 27. Et. 19.
49. Zollerus, Frid. Gollub: De praeceptis, quae dantur
a iudice eorumque differentia.
50. Zollerus, Frid. Gollub: Utrum promissio data a
patre facta, existente postea concursu, credi-
torum effectum habeat?
51. Zollerus, Frid. Gollub: De officio et jure capituli
sede vacante.

1774
The text on this page is extremely faint and illegible, appearing to be a handwritten document or letter. The ink is very light, and the handwriting is cursive and difficult to decipher. The page is numbered '1774' in the top right corner.



17917

25.
1794, 39.

6

PROCANCELLARIVS
IOH. THEOPHILVS SEGERVS
SOLENNIA
NOVI DOCTORIS IVRIVM
IOH. GOTHOFREDI NEVMANNI
MARSEBURGENSIS
VIRI PRAENOBILISSIMI ET DOCTISSIMI
A. D. XXVII. IANVAR. AN. MDCCCCLXXXIII
IN SCHOLA I. CTORVM LIPS
CREANDI
INDICIT

*Praemissa est observatio de differentia iudicium et magistratum
iuris dicundi apud Germanos*



Vulgo enim haec iuris dicendi ratio, haec forma iudiciorum fertur a priscis Germanis instituta moribusque maiorum seruata esse, vt idem, qui iurisdictionis potestatem haberet, causam quoque cognosceret ac decideret, nec aliis siue in cognoscendo siue in sententia dicenda veris iudicibus praeter se vteretur. Quam opinionem facile ab eorum ingenio proficisci intelligas, qui iura Romana cum Germanicis contulerunt, in quorum illa libris veterem locum tenet, nec vanis eum de causis, neque parua scribentium auctoritate ad hunc diem tuetur. Ecquis, vt e numero doctissimorum probatissimorumque auctorum duumuiros tantum excitem, IOH. THEOPHILI HEINECCII et GEORGII CHRI.



STIANI GEBAVERI venerandis nominibus non assurgat? Ille vero in aureis *iuris civilis elementis* lib. IV. tit. 17. §. 1327. et 1328. vbi de officio iudicis Quiritium praecepta exposuit, et quae extraordinariae cognitiones vocatae sint, strictim tradidit, de Germanica disciplina sic pergit: *Non autem hodie obseruatur discrimen inter ea, quae in iure, et quae in iudicio fieri dicuntur. Iudices enim pedanei apud ipsos Romanos dari deserant, non quidem a temporibus Diocletiani, uti ex l. 2. C. de pedan. iud. colligunt, sed tamen ante Iustinianum l. ult. Inst. de interd. Germanicae autem originis gentibus nunquam in usu fuerunt. Eoque sensu accipiendi iureconsulti, dum hodie omnia iudicia aiunt esse extraordinaria ex d. §. ult. Inst. de interd. - ipse magistratus et cognoscit et sententiam fert et eandem exequitur.* GEBAVERVS de iurisdictione secundum doctrinam Romanorum eiusque doctrinae in Germania usu elegantissime disputans duplicem Praetoris et iudicis pedanei personam nihil ad nos pertinere et ipse existimat, et ait interpretes nostros consentire cap. II. §. 5. Itaque mirum videatur legentibus rem omnium iudicio approbatam adeoque omnium

omnium fere aetatum scholarum que consensu atque auctoritate firmatam vocari in dubium, praesertim hoc seculo, quo desit tandem Germania peregrina instituta cum suis confundere, et reipublicae nostrae formam e Romanis antiquitatibus discere. Quin vereor, ne non nullis videar omnino ineptus atque insipidus, quem in tanta hodie luce litterarum Germanicarum non pudeat imitari praeteritorum seculorum barbariem et strenue abuti disciplina Romanorum ad corrupendam iurisprudentiam. Sed hos spero mecum redituros esse in gratiam, cum in ipsis Germanorum antiquitatibus sententiam meam non obscure significatam, verum lucidissime declaratam omnino que expressam reperient, neque a Romanis arcessi, sed apud vetustissimos nostros maiores domi haberi magistratum iuris dicendi et iudicum, qui consilium illis auctoritas que adessent, discrimina.

Hactenus enim vixit sub civili imperio prisca Germanorum libertas, ne cuiusque lites et privatarum rerum controuersiae, nisi a paribus iudicarentur, neque criminum et causarum capitalium iudices magistratus essent, sed qui horum iussu de

iis cognoscerent. Quemadmodum vero apud Romanos alii magistratus summae rei praeerant, comitia et Senatum, imperia in exercitu, domi legum et institutorum curam custodiamque agebant, auctores omnium rerum publice gerendarum, ne quid communis populi salus detrimenti caperet, in vniuersum consilio atque auctoritate prouidi; alii inde ab eo maxime tempore, quo consules omnia sine collegis ordinare prae negotiorum multitudine grauabantur, nec amplius populo utile videbatur, vnumquemque criminis reum apud concilium accusari, publicis et priuatis iudiciis praefecti criminum quaestiones habebant, actiones litigantibus dabant et legitima cuiusque rei constituiebant iudicia: sic apud nos triplex potissimum togatorum magistratum genus habetur, istorum, qui in commune consulunt et rerum ciuiliu[m] ordinem, incrementa, publicum decus imperio et prudenti cura statuunt, tumentur, promouent, alterum; alterum horum, qui iuri dicundo praesunt, et vt suum cuique ius tribuatur meritaque de fontibus poenae sumantur, efficiunt: praeter quos sunt, qui vtraque polleant potestate,

estate, cum vtramque, non tantum in summis imperatorum, regum et principum personis coniunxerit imperii nostri ratio, verum haud raro etiam inferiores, siue ab arbitrio Imperatorum et Principum, siue communi regionum instituto, et singularibus pactis, vel priuilegiis accepisse reperiantur. Caeterum Germanico idiomate istos maxime *πολιτείας* curatores statoresque, vel quibus publica vtriusque, quod diximus, generis potestas concedita est, communi et generali nomine *Obrigkeiten* vel *Obere*, frequenter etiam cum adiectione alterius nominis reipublicae vel collegii, cui praefecti sint, *Meister*; latine magistratos, Priores, Superiores, magistratus verteris; iudiciorum autem praesides, ne quid de Grauiorum, id est, Seniorum Comitumque vocabulo propter multiplicem eius dignitatis amplitudinem dicam, *Iudices*, *Aduocatos*, *Scultetos*, *Richter*, *Voegte*, *Schuldheissen* similibusque nominibus specialibus appellari, animaduertas. cf. CHRIST. THOMASIVM *de iurisdictionis et magistratuum differentia secundum mores Germanorum.*

Hos

Hos iudiciorum praefides aio iuris dicendi potestatem antiquitus habuisse, eosdem vero, quod ait HEINECCIUS, cognovisse etiam causas, et sententias tulisse, nego et pernego. Liceat Heinccio opponere ipsum HEINECCIUM. Ipse enim in *Element. Iuris Germ.* lib. III. tit. I. veterum apud Germanos iudiciorum disciplinam tam curate eleganterque depinxit, ut in ea quoque Theodisci iuris parte describenda palmam fere omnibus praeipperit, qui post eum ad conficiendas epitomas accesserunt. Et quem, quae so, latet praesea Scabinorum auctoritas, Comiti, Vicario, Centenario, Sculteto etiam in iudiciis, quibus quis que praeficeretur, assidentium, ut TACITO teste *Germ.* VI. consilium ei auctoritasque adessent. Etenim, quos TACITVS memorat comites singulis in concilio ad iura per pagos vicosque reddenda electis principibus iudicio cuiusque pagi ascitos, eosdem esse iudices atque arbitros, quos posterioris aetatis monumenta Scabinorum, Rachinburgiorum, Sapientum, Prudentium, (Prud' hommes) Bonorum virorum, (Bons-hommes) Sagibarorum nominibus prodidere, *durante etiamnum*, ut bene anim-

animaduertit FRID. BRVMMERVS de Scabinis cap. II. §. 18. post tredecim secula a primordiis legis Salicae et Langobardicae nomenclatura, id fere apud omnes confessum exploratumque reperio. Nec dubito, quin *centenorum* vocabulum, quod ex eo loco Taciti laudatus BRVMMERVS, REINESIVS, KIRCHMAIERVS, GEBAVERVS *Vestig. Iuris German. antiquiss.* diss. XIII. eiciunt, nulla medicina restitui possit, nisi vel cum GEBAVERO *duodeni*, vel cum aliis, quos DITHMARVS ad h. l. sine nomine meminit, *septeni* legas, vel denique Tacitum dicas verbo *senden*, *senten*, a quo ad Scabinatum idonei dicti sunt *Sendbar*, *Semperleute*, non infrequenti literarum mutatione fecisse *centenos*. Quae quidem coniectura mihi ipsi non admodum placet, cum et vsus verbi *missos* notantis pro Scabinis nequeat auctoritate idonea atque aliquo certo monumento confirmari, et $\tau\eta$ *centeni* eiectione verborum Taciti integer sit sensus, praeter ea BRVMMERVS, auctore REINESIO, vnde duxerint scribae illud *centeni*, probabiliter satis ostenderit. Verum citius illius leuissimae vanissimaeque coniecturae veritatem mihi persuadeas, quam

B

sentar,

zentas, centenas et centenarios, nedum centumuiros; centumuiraliaque iudicia credam Taciti id scribentis animo obuersata. Profecto, quod ille principibus per pagos vicosque iura reddentibus consilium addit, Scabini fuerunt. Hos magistratum iussa iam antiquissima illa aetate causas cognouisse et iudicasse, constans sequentium temporum inde a Langobardicae Salicaeque legis memoria observatio dubitare non finit.

Sed id ipsum viri eruditi concedunt, nec, si pauci dissentiunt, cum iis super more, obscurae antiquitatis in praesenti disputare fert animus. Nam ad rem propositam satis est, quod positum habemus ante omnium oculos, antiquissimas Germanicarum gentium leges Scabinorum in iudiciis vsunt praecipere ipsiusque *duodecimuiralis iudicii* numerum, de quo praeclarissime *BYDERVS* exposuit, Eddam adeo ad Othinum auctorem referre. Quid est igitur, quod viris doctis serupulum mouet? Quid negant Germaniam iudices praeter iuris dicendi magistratus habuisse? Nempe iudicum atque assessorum officia meminerunt in Romano iure discerni, illorum

torum infra tribunal, ceu legati tabernaculum pedatura inferius erat praetorio, posita in foro subsellia, coram quibus stantes litigatores nullum amplius iuris dicendi magistratum viderent; horum, assessorum inquam, pro ipso Praefecti, Praetoris, Praefidis tribunali adeoque in ipsius Principis auditorio praesentiam, qui tum ius dicentes veteri verbi sensu, cum extra ordinem cognoscentes consilio atque auctoritate iuuarent. Tali assessorum munere non hodie tantum fungi Scabinos, sed antiquis etiam temporibus sanctos esse existimant. Illis igitur, quos vetustissimae iuris Germanici formulae vel de Praefecti seu Comitum potestate sub initium cuiusque iudicii sententiam dixisse rogatos commemorant; neque enim, ut hoc obiter dicam, aliud maius continet notissima verborum cantilena, *an congruum iudicandi tempus sit? an tumultus et indisciplinata in iudicio liceat prohibere?* unde, nescio, quid iuris Scultetorum in Comites, Burggrauium in Marchiones, et Comitum Palatini adeo in Augustum Imperatorem extricauit SPECULATOR SAXO lib. I. act. 52. et 59; illis, inquam, tantis tamque magni-



ficus viris homines caeteroquin eruditissimi contumeliosa verborum interpretatione vel iudicatum omnem abiudicauerunt. Praeivit *Glossator Speculi Saxonici* lib. III. art. 78. cuius hac de re bellissimam tractationem laudat celeberrimus PUFENDORF. *de iurisdictione Germanica* P. I. cap. III. §. 3. Is ubi contrarias quasdam rationes in medium attulit, mouet tandem in alteram partem, nec eos, qui ferant, sed auctores, qui rogent sententiam, proprio iudicum nomine cohonestari debere pronunciat. Adiecit huic sententiae calculum PUFENDORFIVS, probans imprimis ratiocinium glossatoris, ex eo ductum, quod non sit iudex, nisi qui in iudicio solenniter celebrato iubendi et prohibendi potestatem habeat. En glossam! *Wer in gehegtem Ding sitzet und zu gebieten oder vordieten hat, der ist Richter, und nicht der dasselbig halten muss. Der aber, so das Urtheil findet, muss solches thun um Jenes Gebots willen, darum ist nochmals der das Urtheil fraget, der Richter, und nicht der es findet.* Sed mihi quidem cum PUFENDORFIO fere conuenit, cuius tota disputatio redit ad verbi *iudicis* definitionem. Iudicem ille negat dici
 Germa-

Germanis hunc, qui cognoscat et sententiam ferat, sed illum, qui iurisdictionem imperio et potestate exerceat, laudato eam in rem hoc quoque glossatoris additamento: *wer ein Richter ist, soll kein Urthel finden.* I. P. S. lib. III. art. 30. *Darumb muss ja der kein Richter seyn, der es findet, sondern der, der es fraget;* ut lis cum PVENDORFIO ad inanem ambitiosamque verborum contentionem reditura videretur. Verum caeteras glossatoris ratiunculas ex const. I. C. de Assessoribus repetitas, et similes aliorum virorum doctissimorum argumentationes in Romani et Theodisci iuris collationibus improbo, quibus illi e Scabinis Germanicis tales conantur constituere assessores, quales Praefectus vrbi Romae vel Constantinopolitanae in consilio habuit, non contenti magistratibus, quos per me nominent iudices, iurisdictionem atque imperium tribuisse, nisi iisdem etiam cognoscendi decidendi que facultatem omnem oratione sua sic asseruerint, ac si eam, quam hodie passim, maxime in minoribus iudiciis, occuparunt, antiquissimo Germanorum iure instituto que obtinissent. Dicant cum PVENDORFIO l. l. §. 4.

qui a iudice ad formandum iudicium, cognoscendas causas, sententias que suppeditandas adhibeantur, Scabinos appellari. Hoc si meminerint, nec missos, duces, comites, vicarios, recedere a sententiis Scabinorum, nedum non requisita eorum auctoritate consilio que vel cognoscere vel decernere potuisse didicerint, nescio, quid contra antiquitatis Germanicae fidem et tot publicarum legum tabularum que auctoritatem statuunt, veteri Germanico iure cognitionem omnem in ditione ac potestate magistratuum esse.

Sentio aduersariorum voces, quorundam etiam excandescantium iras et vituperia auribus meis percipio: Heus tu! pedaneos iudices in historiam Germanicam inferes? Bellum leguleii Romani commentum! Cuius rei nullum vestigium nec in legibus, nec in formulis, nec sub dio, nec in palatiis vnquam apparuit, eam rem ex foro Romano, o homo inspidissime atque ignorantissime rerum Germanicarum, audes in maiorum nostrorum iudicia et conuentus adducere? Bona verba, quaeso, neque enim res conuiciis agitur. Aio Scabinos nostros antiquo populi instituto non magis assessores fuisse,

fuisse, quam pedaneos iudices, et ut tantopere decreverit delera que penitus in minoribus iudiciis sit eorum auctoritas, introducto iure Romano et vanis sapientiae peregrinae persuasionibus atque illecebris accidisse. Non erant pedanei iudices, quibus solam factorum cognitionem obuenire Romanis legibus nouimus, neque a lite demum contestata inchoabant iudicium, neque positus extra conspectum magistratus in subselliis iudicabant. Aut non satis cognititas habuit iudicum pedancorum apud Romanos personas **CONRINGIUS**, aut id nomen, **FREHERVM** forte secutus, in benigniorem sensum usurpauit: *procul dubio*, inquit, *etiam tum*, nempe temporibus Taciti, *pedanei quidam fuere iudices, quales nunc in agris passim supersunt per Germaniam. de Germanici Imperii republ. diff. VI. de iudiciis p. m. 203.* Sed non magis Scabinos cum veterum Romanorum magistratuum assessoribus et consiliariis compares, quorum illi prudentia in iure et facto cognoscendo potuerunt uti et non uti, et si quis praefectus vel praeses satis sibi ipse sapere videretur, monita assessorum susque deque habere, ac quod ipse rectum bonum que
iudi-

iudicaret, ad arbitrium libidinem que suam decer-
 nere. Nam hanc assessorum sortem apud Roma-
 nos fuisse, vel ex *titulo Codicis de assessoribus, domesticis
 et cancellariis iudicum* clare apparet: cum e contrario
 Missi, Comites et Vicarii ad adhibendos in iudiciis
 suis Scabinos et ratas eorum sententias faciendas
 necessitate legis, tanquam vinculo, adstringerentur,
 nec Scabini olim, vt hodie passim in pagis et vi-
 cis, nudos rerum a Comite vel Sculdasio gestarum
 spectatores auditores que piscibus mutiores sese
 praeberent. Immo vero Centenarius, Sculdafius,
 Comes et Missus ordinato munito que iudicio omne
 audiendi cognoscendi que officium, quanquam ipse
 praefens, Scabinis tamen proprium relinquebat. I. P.
 S. III. 30. Quod, quantum ego quidem legere memi-
 ni, nemo ostendit curatius aut publicorum monimen-
 torum fide diligentius confirmavit BOLQVETO *Iu-
 ris publ. Gallicani* T. I. P. III. art. II. §. 2. et 3. p. 751.
 vbi etiam, in quod tempus ista Scabinorum aucto-
 ritas per Franciam occidentalem durauerit, scite
eleganter que disquisitum, et alia inter memorabilia an-
 CI CCCXV constitutum reperies, vt Balliuii, Prae-
 . positi

positi et caeteri Iudices, dicto ipsis Parium sacramento a iudiciis sic rite ordinatis excederent, nec actum rerum praesentes morarentur iudicandi que libertatem minuerent. (*que nos Baillifs, Preuôts et autres Justiciers, quand ils auront conjuré les Hommes, se partent, ne demeurent au jugement, et que les jugemens, qui seront ameneurs des Hommes soient deliures. Ordonnances du Louvre Tom. I. p. 566.*) Nempe nec ciuilibus semper Comites maiores que iudices, sed plurimis sub eorum tutela iudiciis minores Sculdafios, Centenarios et alios id genus Vicarios e senioribus Scabinorum vel Rachinburgiorum praefuisse notum est, vnde hodieque Sculdafii vel Iudicis nomen in minimis etiam Germaniae vicis auditur Adeo verum, quod scribit illustrissimus BVA TIVS Christianissimi Regis Comes et ad aulam Dresdensem, quam eximia eruditione mirifice ornat, legatus in praestantissimo libro, cui titulum *Origines sue de antiqua imperii Gallicani, Germanici atque Itali- et forma* fecit, vnus cuiusque pagi homines sui semper inuicem iudices, neminemque, nisi a paribus, conuicinis suis, quorum Capitulare Saxonum

C

cap.

cap. IV. meminerit, iudicatum, nec placita Comitum et Missorum fuisse, nisi iudicum eorundem concilia. (*Les Cantoniers furent toujours leurs propres Juges et leur Assise fut toujours ce tribunal des Voisins, dont parle le Capitulaire Saxon. — Ce qui est incontestable, c'est que le Plaid du Comte n'étoit autre chose que l'Assise des Voisins et que les Commissaires eux-mêmes s'en faisoient assister dans leur Plaid.*) tom. III. lib. XI. cap. 5. p. 373. Idem quoque de Comitibus aperte colliges ex L. LANGOBARD. lib. II. tit. XXXXII. et LII. CAPITVLAR. lib. III. cap. 5. et HINC MARI *Epist.* XV. cap. 14. de Missis ex *Addit. IIII. Capitular. c. 105.* Caeterum de Missorum in vniuersum officio iuris reddendi, seu, vt habent praecepta silo aeuu, iustitiam faciendi et procurandi confer, si lubet, plenissimae frugis librum FRANCISCI de ROYE de *Missis Dominicis*, recensum Lipsiae an. MDCCCXXX cura IOH. VENDELINI NEVHAUSII, Viri amplissimi.

Quae cum ita sint, quis in antiquis legibus et aeuu monumentis Scabinos iudices appella-
ri

ri miretur? Quem iudicis rurani rusticorum e numero depromti appellatio male habeat, si in his quoque liberorum agricultorum libertorum que iudiciis non nobiles, sed qui illis iudicium suum ordinantibus iurassent, Scabinos, praefide quidem domini iussu Sculteto, auduisse causas et diremississe, quanquam, si qua grauior res esset et difficilioris cognitionis, petitis sapientiorum in celebri quodam conuentu responsis, meminerit? Ipsi quidem Comites caeteri que iudiciorum praefides communi Iudicum nomine haud infrequenter venire solent. v. MONTESCVSIVM *de ingenio legum* lib. XXVIII. cap. 42. Nec rarior tamen ea notio verbi Iudex, qua passim ab Italis, Francis, Gallis pro Scabino vsurpatur. Locum e *chartulario Besuensis monasterii* habet LINDENBROGIUS in *Glossario v. Scabinus*, vbi bis memorantur *Iudices*, quos *Scabinos* vocant, ipsi etiam *unanimitè iudicasse* feruntur. In *Glossa Latino Theodisca* est *Iudex Scepeno*. *Richtrones* vocantur in dipl. Vorm. Friderici I. Imp. ap. LUDWIG *Rel. MSS.* Tom. II. p. 195. alibi *Richter*. v. HALTAVS. *Gloss. v. Richtere*. *Iudicandi* autem voca-

bulum Scabinorum muneri fere proprium est. Non *chartam veterem Alemannicam*, quam ex GOLDASTO tom. II. n. 99. laudant LINDENBROGIUS et CONRINGIUS l. I. non verba TRADITIONVM FVLNSENS. lib. I. n. 99. *praecipiente Comite et Scabinis indicantibus* sed ipsas LEGES RIPVARIAM tit. LV. SALICAM tit. LVI. LVIII. LX. et CAPITVLARIA REG. FRANC. lib. II. cap. 10. et lib. III. cap. 7. vbi Rachimburgii et Scabini *dicere, legem dicere, iudicare* et *Scabinorum iudicia* expressis verbis commemorantur, plenissimae auctoritatis causa excitabo. Ordinarie Missi, Comites et Vicarii *facere vel procurare iustitiam*, Scabini *iudicare, dicere sententiam vel legem* feruntur. *Sine Scabinorum iudicio nihil datur posse vel velle Comitibus.* VITA S. CAROLI FLANDRIAE COMITIS cap. 5. Adeo in regum atque Imperatorum Palatiis iudices federunt Scabini. Sedecim Scabinos Palatii regii nominat *chart. Caroli Simplicis* apud BOLQVETVM tom. IX. p. 514. cum quibus cum episcopi etiam quinque reperiantur, obiter notes, pro reorum, caussarum, locorum que diuersitate etiam sacerdotes, maxime in palatiis regum, iudices inter

inter comparuisse, nec vniquam penitus antiquatam, sed ad Christianae disciplinae modum temperatam esse veterrimam consuetudinem, de qua TACITVS M. G. VII. si magistratuuum iuris dicendi imperia a Scabinorum officio rite seiunxeris, cum Caesare B. G. lib. VI. haud difficulter conciliandus. Verum de Scabinis iudicibus, qui in Palatio Regum atque Imperatorum federunt, erit proxime differendi opportunior locus. Etenim omnes iudiciorum nostrorum gradus peruestigare, ab infimis iudicibus ad summos pergere, et qua ratione vnusquis que reus coram ordinis sui hominibus experiri solitus, nec penes magistratum, ne apud ipsum Caesarem quidem Augustum, sed penes solos Scabinos, et maiorem minoremue comitiatum fuerit iudicandi arbitrium, denique quo seculo quibus que consiliis mos vetus tantum non exoleuerit, eam maxime ob causam destinauimus enarrare, vt vanae eorum ratiunculae retundantur, qui iudicatus et iurisdictionis discrimine non intellecto de iuris dicendi societate inter Augustum Imperatorem atque Imperii Ordines tot logomachias in publicum ediderunt. Interim, cui

volupe est, Scabinorum in Curia Regum atque Imperatorum Germaniae iudicantium non nulla videre exempla recensita, adeat IOH. HENR. BOCRISIVM diff. *de indole et natura iudiciorum Germaniae* §. 5. et BLVMIVM *de Iudicio Curiae Imperialis Aulico* cap. II. §. IX. Intelliget Principem Scabinorum esse Imperatorem, *obersten Richtern und Rechtschoepfern*, quod nomen v. ap. HALTAVS. v. *Schoepfen*.

Sed ad depellendum eum errorem umbratilem, quem principio huius prolusionis arguimus, et vnde, vt fere fit, illustris ista controuerfia, in aulas postea regum et Principum atque Ordinum Imperii nostri conuentus progressa, manauit, maiore argumentorum vi, atque haecenus opposuimus, haud opus esse videtur. Non negat PVENDORFIVS, neque enim id poterat ignorare vir tantae doctrinae, Scabinos interdum iudices dici. Sed eripere nobis conatur illud praesidium, cauendo vices Iudicum, praesidium nempe, quibus saepissime functi essent Scabini; id nomen ipsis, quorum numero Centenarii quoque alique Vicarii Comitum continentur, conciliauisse. Cui quidem ingeniosae rationi,

tioni, non ut aduersus Pufendorfium pugnemus, quem diximus a nobis verbo magis, quam re dissentire, sed ne scholastici posthac doctores ad vindicandas suas Germanici Romani que iuris contentiones ea abuti possint, illius adeo legis auctoritatem opponimus, quae modum atque ordinem supremi in Caesarea aula iudicii describit, nec Praesidem tantum eius que Vicarium, sed consiliarios quoque assessores que iudices nominat. tit. I. §. 2. Nullus in eo loco ad recturam tribunalis respectus, tanto que luculentius nomenclaturae veteris non ob potestatem iuris dicendi et baculi forte gestandi vicariam, sed propter ipsum iudicatum, Scabinorum assidentium proprium munus adiuuentae monimentum. Romanarum autem antiquitatum peritos ut cognitionis iudicum in praesentia Praetoris exemplum habeant, eoque posthac libentius iudicum magis, quam assessorum nomen Scabinis indulgeant, certe cognoscendi facultatem definant ipsis omnem adimere, perpetua publicarum causarum iudicia recordari iubemus, quibus quidem ipsi Praetores videntur ut plurimum affuisse praesentes.

Sed

Sed reuocandus est calamus, ne epistola modum excedat, et lectoribus, quorum beniuolentiam amorem que conciliare Ornatissimo Candidato cupimus, cum huius etiam damno atque iniuria taedium creet. Etenim vt dicamus tandem, quod nunquam academia finit sine prologo dicere, decreuit Ordo noster

IOHANNI GODOFREDO
NEVMANNO

MARSEBURGENSI

VIRO DOCTISSIMO

spectatae in foro virtutis legitimae que eruditionis praemium, supremos vtrius que iuris scientiae honores. Qui quomodo omnem ingenii, quod a natura erectissimum habet, alacritatem ad litteras discendas transfulerit, sibi que eam doctrinam, cuius ergo eum laudamus, honestissima studiorum contentione comparauerit, quid superatis iuuenilibus scholae laboribus egerit nuper in arena forensi, et quam praecellaram futuri temporis maioris que

vir-

virtutis spem faciat, ex iis, quae modestissime de vita sua ad me scripsit, tanquam ex umbra cognoscite.

Natus est, ut diximus, in celebri urbe, quae nomen a paludibus ductum ad perennem culturae industriae laudem integro Episcopatu fecit, V. Iulii an. CIDIDCCXXXVIII. Patrem IOHANNEM GOTHOFREDVM, iuris vtriusque doctorem, et potentissimi quondam Poloniarum Regis Augusti III. in Curia ditionum Ecclesiae Marfeburgensis gubernandarum a secretis, praematura morte puer amisit. Eo maiores matri ERDMUTHAE FRIDERICAE MARGARETHAE piissimae ornatissimaeque feminae ex gente *Herzogia* oriundae gratias agit, quae iustissimam ex tanta iactura dolorem educationis solertia et prudenti sollicitudine solata est, et cui inter caetera bona precatum longissimam placidissimamque senectutem. Illa puerile ingenium optimis praeceptoribus, RINGLEBIO, ECKIO A. M. LORENTIO que formandum tradidit, quorum hic vicario muneri in ecclesia pa-

D

triae

triae vrbis cathedrali, illorum vterque sacerdotio vi-
 uit admotus. Ab his bene praeparatus irauit pa-
 triae ciuitatis gymnasium, tantam ibi HOFMANI
 Rectoris erga se facilitatem et fidem expertus, vt
 beneficiorum memoriam nullum vnquam tempus
 ex animo suo deleturum esse publice spondeat. Ad
 nos accessit an. CIDIDCCCLXVI in album ciuium
 academicorum relatus d. XXII. Septembris rectore
 BELIO. Hic eum philosophiam VVINCLERVS,
 humaniores litteras vterque ERNESTVS et GEL-
 LERTVS, quo duce etiam in morum doctrina
 profecit, historiam catholicam atque ecclesiasticam
 EYRSCHERVS docuerunt. Historiae iuris atque
 hermeneuticae artis in explicandis legibus adhiben-
 dae SAMMETVM, Eundem et BREVNINGIVM
 institutionum Iustinianearum, BREVNINGIVM
 etiam et SCHOTTVM Pandectes et iuris Germa-
 nici, praeter ea SCHOTTVM iuris publici vniuer-
 salis et gentium, BREVNINGIVM iurispruden-
 tiae criminalis causa adiit. In discendo iure Ger-
 manico et Canonico profuit ipsi doctrina HOM-
 MELII, Ordinarii nostri, quem patronum opti-
 mum

mum maximum merito laudat. Historiam et ius
 publicum Imperii nostri feudorum que iura enar-
 rare audiuit FRANCKIVM. In meis quoque iuris
 naturalis, canonici et Germanici scholis assiduum
 eum et perindustriam esse auditorem recordor.
 Examinando et disputando PLATNERVS *vñv ev*
álylog eum exercuit. Denique medicinae forensi
 apud B. LVDVIGIVM operam dedit: tandem iu-
 ris prudentiam formulariam didicit a ZOLLERO.
 Quorum omnium magistrorum dexteritatem atque
 erga se beniuolentiam in epistola de his rebus ad
 me scripta gratus praedicat. Sic literis egregie
 tinctus et boni aequi que arte probe instructus
 maturavit iter in foram. Id vt pateret, *an, si de-*
beantur ligna certae speciei ex silua seruiente certa ne-
que in ea amplius deprehendantur, seruitus expiret?
BREVNINGIO praeside, pro cathedra disquisiuit.
 Postea tentatus ab Ordine nostro, virum Aduocati
 munere dignus esset, honorificum doctrinae suae
 testimonium retulit. Nec spes eum bona fefellit.
 Mox enim an. seculi LXXI. Serenissimus Princeps
 Elector creatum inter ea ab Amplissimo huius Ci-

uitatis Senatu Notarium recepit in numerum suorum, sed et causas in foro orandi facultatem benignissime ipsi concessit. Hac usus est sic, ut ab omnibus probaretur, et noster etiam Ordo, cum negotiorum multitudine distraheretur, ne cognoscendis causis eorum, qui in publicis Collegii aedibus reperiuntur, et quorum cum ipsa parte aedium facta est nuper magna accessio, per delegatos ex Ordine amplius posset vacare, ob insignem probitatem et iuris peritiam eundem dicendi iuris Vicarium in locum quem diximus, constitueret. Per quam occasionem fidem eius, integritatem atque in iudicando religionem, nuper etiam in causa criminali plane perspeximus. Itaque laetati sumus consilio, quod sub anni huius initium nobis exposuit, viam sibi ad summos iurisprudentiae honores parandi. Diximus utrique examini ab his candidatis subeundo diem, quo cum spem nostram adeo superasset, unanimi eam suffragio doctoris dignitate dignissimum iudicauimus. Proximo igitur d. XXVI. Ianuarii hora III. pone meridiem recitationem inauguralem *const. XI. C. de naturalibus liberis et matribus eorum* habebit, et postera

postera luce *Supplementa Rhapsodiae Quaestiorum*, in
 Foro quotidie obuenientium neque tamen legibus decisa-
 rum, quibus Praefes Collegii HOMMELIVS tantam
 apud omnes gratiam meruit, eodem praefide pro
 cathedra iure consultorum defendet. Quo facto
 Vir Summe reuerendus atque illustris

HENRICVS GODOFREDVS
 B A V E R

Ecclesiae cathedralis Numburgensis et collegiatae
 Vuurcensis Capitularis, Supremae Curiae Assessor,
 Antecessor Pandectarum atque Ordinis nostri Col-
 lega de his omnibus muneribus meritissimus mihi
 que in paucis carus, cui Principali auctoritate con-
 stitutus Procancelarius delegavi has vices, summos
 vtriusque iuris honores et omnia Lipsicorum do-
 ctorum non cupientium in Collegium nostrum co-
 optari priuilegia Ipsi more maiorum largietur.

Quae sollennitas vt splendoris plurimum habeat,
 optabile est. Itaque RECTOREM ACADEMIAE
 MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMI-
 TES, VTRIVSQVE REI PVBLICAE PROCE-

D 3

RES,

RES, GENEROSISSIMOS et NOBILISSIMOS
COMMILITONES omnes que litterarum nostrarum
fautores, velint illi honorum distributioni honorificentissima sua praesentia tum apud Candidatum, tum apud honestae laudis aemulam iuventutem maiorem gratiam dignitatem que conciliare, ita rogo atque obsecro, vt et Candidatum et me gratissimos fore spondeam, Ordinem que nostrum id beneficium omni, qua possit, occasione remuneratum esse recipiam. P. P. d. XXIII. Ianuar. an.

CIDICCLXXIII

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA



Leipzig, Diss., 1774

ULB Halle
001 612 190


3



TA-50C







1017

25.
~~1794~~ 39.
6

PROCANCELLARIVS
IOH. THEOPHILVS SEGERVS
SOLENNIA
NOVI DOCTORIS IVRIVM
IOH. GOTHOFREDI NEVMANNI
MARSEBURGENSIS
VIRI PRAENOBILISSIMI ET DOCTISSIMI
A. D. XXVII. IANVAR. AN. CIDICCLXXIII
IN SCHOLA I. CTORVM LIPS
CREANDI
INDICIT

*Praemissa est obseruatio de differentia iudicum et magistratum
iuris dicundi apud Germanos*

